Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nit. Unde pulchre ea que hic prefiguratum esse diximus die in laude eius cantat ecclesia: Ecce advenit dominator dominus et regnum in manu eius et potestas et imperium. Et in offertorio: Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei. Porro hic, quod dominator dominus vocatur, augusti ei nomen attribuitur; per hoc vero, quod imperium et regnum in manu eius dicitur, imperatoria ei dignitas asscribitur. Per hoc autem, quod reges adorare omnesque gentes ei servire asseruntur, monarchie apex, id est singularis per totum mundum principatus, eius esse declaratur. Illis diebus largus olei rivulus in transtyberina urbis regione fluxisse invenitur, ut nasciturum in carne, qui super omnes reges oleo leticie et exultationis, spiritu sancto, unguendus foret, monstraretur.

De pace vero et descriptione orbis rationem me in prologo reddidisse recolo. Unde et hoc adiciendum puto, quod dei filius in carne veniens Romane civitatis civis ascribi voluit. Cum enim civitas in presidia posita procul dubio civitas mundi fuit, quare ei civitatis dei princeps et auctor natus ascribi voluit, nisi quod per hoc ostendebat se ad hoc venisse, ut de civitate mundi miro et ineffabili modo faceret civitatem suam? Et apte inter Iudeos natus gentibus ascribitur, ut per hoc transferendam gratiam ex illo populo ad gentes manifeste daretur intelligi. Igitur novo homine, qui veterem evacuavit, nato, annalibus quoque anno ab urbe condita ac inde ad id temporis perductis terminum demus, ab eiusque ortu annales nostros ordiamur. VII.

Anno ab incarnatione domini IIII Herodes Iudeorum rex a magis Christum natum audiens, inhumanissimum scelus perpetravit. Timens enim, cum esset alienigena, de semine David natum esse puerum, qui iure hereditatis regnum requireret patris, callide loco ac tempore perscrutato circa Bethlehem a bimatu et infra pueros occidi precepit, nutricio Christi ante per angelum premonito pueroque in Egyptum translato. Quod scelus dominus advertens dirissima et indecora morborum clade in extremis eum flagellavit. Unde Iosephus in XVII antiquitatum libro de ipso sic ait: Herodem porro amarior in dies morbus urgebat, supplicia videlicet commissi sceleris expetens. Lento namque igne extrinsecus in superficie urebatur, intrinsecus vero vastum condebat incendium. Aviditas inexplebilis semper inerat cibi, nec tamen saciari umquam rabidis viciata faucibus valebat ingluvies. Intestina intrinsecus ulceribus obsepta. Et precipua sed et verenda ipsa putredine corrupta scatere vermibus. Spiritus quoque incredibilis inflatio. Et infra: Dicebant ergo hii quibus divinandi peritia est, has divinitus penas ob multa eius impie et crudeliter gesta deposci. Refert etiam quod, ubi desperare salutem cepit, ex singulis vicis atque castellis nobiles ac primarios viros ad se vocatos